

V 9
53 61



CK. 191.
Ch. 191 57

*

Vg
5361

FAX REACCENSA LUTHERI.

SIVE

DISPUTATIO HISTORICO. THEOLOGICA,

DE

VOCATIONE MEGA-
LANDRI NOSTRI LVTHERI,

LVTHERANORUMq; MINISTRORUM,

QVAM

DIVINA ADSPIRANTE AURA,

PRÆSIDE

VIRO PLURIMUM REVERENDO,

AMPLISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

Dn. BALTHASARE BEBELIO

SS. THEOL. DOCTORE, EJUSDEMq; IN

ALMA ARGENTORATENSIVM ACADEMIA PROFES-

SORE ORDINARIO CELEBERRIMO, DNO. PATRONO,

PRÆCEPTORE ET FAUTORE SVO OBSERVAN-

TIAE CULTU ÆVITERNUM PROSEQVENDO,

COLENDO ET HONORANDO.

PUBLICAE DOCTORVM CENSURAE

IN AUDITORIO MAJORI

proponit Auctor & Resp.

JOHANNES HERMANN. REINHOLD,

Iserlohnio. Westphalus.

AD DIEM 29. APRIL.

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS WELPERI.

3/2

A. M. clō lbc LXVIII,

3984







שם יהוה

Non minus verè quàm eleganter
 communi & omnium ore ferè trito fer-
 tur veriverbio: *Veritas premitur, at non
 opprimitur, oppugnatur, at non expugna-
 tur, vellicatur, at non evellitur, turbatur,
 sed non perturbatur.* Etenim in aprico
 est, quòd hodierni hujus ferè ultimi & ulcerati seculi
 Jesuitæ pharisaico tumore turgentes non solùm à ve-
 ritatis semita devient, dira bifidatae linguæ spicula in
 orthodoxum Christi ministerium vibrent, vera veri
 Salvatoris dogmata conculcent, & falsas antiqui & ve-
 nenati Draconis bullas, traditionibus humanis magis
 quàm Scripturis nitentes simplicioribus instillent
 plumbum pro argento, stipulas pro grano, spinas pro
 tritico, & Tetzelianas merces pro veris Christi dogma-
 tibus obtrudant: Verùm etiam Megalandrum no-
 strum Lutherum animosum illum DEI mystam den-
 te Theonino rodere haud erubescant, ut olim Thra-
 sonici & tumentes Pharisei Christum Jehovæ filium
 & Salvatorem nostrum, cum ejus doctrinam non re-
 futare, multò minùs annihilare in viribus haberent,
 convitiis proscindere, & ejus personam diffamare a-
 pud plebejos simpliciores allaborabant, velis remisq;
 contendebant, vocantes eum *Vinipotorem*, Matth. II.
 v. 19. *Maleficum*, Joh. 18, v. 30. *Seductorem*, Matth. 17.

A 2

Diaboli.

2.

Diabolicum Johan. 8. &c. Sic etiam Pontificii eandem cum Pharifæis restim trahentes *Thaumasiandrum* nostrum Lutherum, cum ejus doctrinam, ut secundum Scripturæ regulam normatam, refutare non valerent, ejus personam convitiis & scommatibus deperdere tentant, imò cum in coetu viventium adhuc versaretur, tot splendida de illo sparsere mendacia, ut si tanquam maleficus omni vitiorum genere conspurcatus, ad extremas terrarum oras Garamantas & Indos relegatus fuisset, nihil impudentius, atque insolentius audiri potuisset, ut ipse Tom. 8. Jenens. Germ. pag. 207. annotavit. Malefico enim nunquam exhibebuntur tales ludi scenici, quales *Viro huic innocenti*, & incomparabili præbuerunt Aediles creati hodierni Jesuitæ, vocantes eum *ex incubo natum, Sacrilegum, Infamem, Luxuriosum, Libidinosum, superbum, maledicum, perjurum, currentem, & non a Deo missum*, (quod nostrum attingit scopum) nullum alium in finem, quàm ut his & similibus calumniarum figmentis Religionem nostram *gregi Sioneo* exosam reddant, ut veros *veri Israelis* fontes *veritatis Divinae Lymphis*, & *rivulis scatentes* deserant, & turbidas Pharifæorū scaturigines amplectantur; verùm auras dilapidant, & funiculos ex arena nectunt. Hoc ipso enim dum ministerium nostrum orthodoxum scommatibus, & exhibitionibus ejusmodi horribilibus exagitur, non tantum veræ Ecclesiæ notam & Characterem indelebilem consequitur, quæ est quod hæc *δυσφημίας* & *εὐφημίας* infamiam, & bonam famam sustinere cogatur, 2. Cor. 6. v. 8. varia tempestate convellatur, Esa. 54. v. 11. affligatur, & in dorso sulcos Adversantium molestos sæpissimè experiatur, Ps. 120. v. 2. 3. Sed etiam exercetur, & quasi

& quasi animatur, ut penitus inquirat, & veritatē veritatis flabello eruat & calumniarū nebulas dissipet, & ita *Veritas Veritas* permaneat, licet prematur, tamen non opprimetur, quod, ut faxit fons & origo, Os & cos Veritatis Cœlestis & terrestris supplicè precamur hisce:

A Liger ætherea, DeMISSVS nVnCIVS, ora
Dissipet Ingenii nVbILa fVfCa MhI.

CUm igitur de *Veritate Vocationis* LUTHERI LUTHERANORUMque MINISTRORUM quædam acturi simus 1. Antequam rem ipsam aggrediamur, *Explicationem & Divisionem* Vocis, 2. *Necessaria requisita vocandi*, & calumnias Antimachorum perlustrabimus. 3. *Thesin* nostram probabimus, & 4. *Antithesin* posse refutabimus.

§. I. Terminus seu vox *Vocationis* idem significat quod Teutonicè *beruffen*. Latinè vocare, advocare, citare, quandoque etiam eligere. Græcè κλήσις, παράκλησις. Et quidem generaliter significat vocatio illud genus vitæ ac functionis tum privatae & œconomicae, tum publicæ in Politia ac Ecclesia, cui *destinatus est aliquis à Deo*, idque ex Hebræorum idiotismo, apud quos dicitur vocare Dominus, quos facit existere, & vicissim à Domino vocari, qui existere incipiunt, sive id referatur ad ipsam *essentiam & existentiam*, ut cum dicitur, Dominus vocare quæ non sunt, Rom. 4. v. 17. *sive ad qualitates, aut attributa*, ut 1. Cor. 5. v. 7. seqq. *sive ad æterni sui consilii declarationem publicam*, qua nos certo muneri ac veluti scopo in hoc mundo destinatos, quasi in ejus possessionem immittit, idq; vel *communi* omnibus sanctis vocatione, quæ electionem ad salutem subsequitur, Rom. 3. v. 30. vel *peculiari* ad certam functionem, quomodo Paulus se passim in suis epistolis appellat vocatum Apostolum, Rom. 1. v. 11. quæ est hujus loci.

§. II. Sumitur autem dupliciter, *tum Activè*, respectu *vocantis*, pro ipsa eligendi, vocandi & mittendi ad officium actione, Esa. 49. v. 1. Dominus ab utero me vocavit: *Tum passivè*, respectu *vocati*, pro ipso genere vitæ, ad quod homines vocantur, 1. Cor. 7. v. 20. in quâ vocatione unusquisque vocatus est, in ea

4.

maneat, &c. vide Gerhard. L.C. de Minist. Eccles. §. 53. Juxta quam vocabuli significationem ipsum Ministerium Ecclesiasticum dici potest peculiaris quædam *Vocatio*, sive *Status*, in quo *personæ Ecclesiasticae divinitus collocatae sunt*. *Definitum est vocatio ecclesiastica*, de quâ hîc agitur. *Genus est actio Divina*. Non enim putandum est, Deum hodie cessare à vocandis & mittendis ministris. Nam ipse extrudit operarios suos in messem, tanquam Dominus messis, uti filius patrem rogari voluit à Discipulis, Matth. 9. v. 38. Filius dat & mittit, Joh. 20. v. 21. 1. Cor. 12. v. 5. 6. & Spiritus S. constituit Episcopos in Ecclesia, Act. 20. v. 28. Hinc est, quod Christum audire & rejicere dicatur, qui ministros Ecclesiæ audit vel rejicit, Luc. 20. v. 16. quia tam *mediata*, quam *immediata Vocatio* Divina est. Differentia est causa efficiens vel principalis, vel instrumentalis: Illa est S.S. Trinitas, quæ adhuc separat mediatè, quos vult ad ministerium vocari. Instrumentalis sunt omnes ordines, Presbyterium, Magistratus, & Plebs.

§. III. Hæc Vocatio autem est duplex: Alia *mediata*, alia *immediata*: *Immediata* eaque præstantissima ac peculiaris est, quæ non per homines intermedios, sed ab ipso Deo *immediatè* facta, qualis fuit Prophetarum, in V. T. qui reliquis sacerdotibus seu ministris cessantibus excitati sunt ad repurgandum statum Ecclesiæ Judaicæ: In N. T. Johannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, 70. Discipulorum, ac D. Pauli Apostoli, qui *immediatè* vocati sunt ab ipso DEI Filio, quos primò in Judæam, & postmodum in universum mundum ad docendum Evangelium omni creaturæ misit. *Mediata*, quæ post ascensionem Christi per Apostolos eorumque discipulos, tanquam internuncios, quibus officium hoc erat commissum, facta est, non sine consensu Ecclesiæ. Sic Matthias per sortem à tota Ecclesia Hierosolymitana vocatus est, & hodie ministri per idoneas personas, ejus rei potestatem habentes, interveniente examine, & cognitione doctrinæ ac vitæ ad munus docendi vocantur, quod à Paulo, Gal. 1. v. 1. dicitur per hominem vocari. Sic Timotheus & Titus per Apostolum Paulum vocati, & constituti sunt Præsides Ecclesiarum, per quos deinde vocati & ordinati sunt alii in Asia, & Creta ad docendum Ecclesias. Licet autem secundus hic vocatio- nis modus primo illo immediato minus authoritatis habere videatur:

deatur: quia tamen suffragio & assensu dextrè judicantis Ecclesiæ nititur, non minus est à Spiritu S. & ab eo rata habita, quam immediata, quod testatur Paulus, quando Episcopus mediatè per homines idoneos ad id muneris vocatos, & à Spiritu S. electos asserit. Act. 20. v. 28.

§. IV. Sunt & reperiuntur, qui præter mediatam & immediatam tertiam addant vocationis speciem, quam vocant mixtam, ubi Deus ipse nominat certas personas, eas verò non per se ipsum, sed per alios vocari vult. Sic nominatim Deus per Moysen vocat Aaronem, Exod. 4. v. 14. Elisæum per Eliam, 1. Reg. 19. v. 10. Et hunc triplicem vocandi modum expressum statuunt verbis D. Pauli, Gal. 1. v. 1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem vocatus est. Verum quia directa est oppositio inter mediatam & immediatam, quæ tertium aliquod membrum non admittit, mixta illa vocatio ad immediatam referenda est. 2. Dist. inter vocationem ipsam, & vocationis declarationem, illorum etiam vocatio est immediata, qui nominatim à Deo vocantur, quamvis per internuntium declaretur, ut in Aaronis & Elisæi exemplo contigit, vel externo quodam signo manifestetur, ut in Matthiæ per sortem electi vocatione animadvertitur, Act. 1. 24. vide D. Gerh. de Minist. E. §. 69. L. C.

§. V. Materia vocationis sunt idoneæ personæ legitimè vocatæ, scil. viri variâ eruditionis supellectili instructi, ut vitâ fide, ita & in famæ fano perspicui, ubi & *sexum & dona* respicimus. Sexum quod attinet, excluditur sexus fœmineus, astipulante Paulo, organo illo DEI electo, 1. Cor. 14. v. 33. Mulieres in Ecclesia taceant, &c. 1. Tim. 2. v. 11. Docere mulieri non permitto, sed esse in silentio. *Sed dicis*: Cur igitur Paulus Priscillam vocat suam in Domino adjutricem? Rom. 16. v. 3. Tryphæna, & Tryphosa etiam in Domino laborarunt suadendo, hortando. Rom. 16. v. 12. & aliud quoque suadent exempla V. T. v. g. Huldæ, Deborahæ dono prophetico eminentium. Respons. Disting. inter ordinarium docendi munus extra casum necessitatis, & extraordinarium, & in casu necessitatis. Hoc non illo modo conceditur illis munus docendi. Quare ut veritas distinctius enodetur, hic notandû, illud quod de Jure divino alicui proprium

proprium, aut simpliciter ita proprium est, ut *nullo modo nullove in casu* alteri competere possit, aut *secundum publicum* seu communem & ordinariū modum ita proprium est, ut publico & communi ordine de jure divino equidē alteri convenire non queat, attamen benè modo extraordinario, & in casu necessitatis, & quidem itidem de Jure Divino. Sic Deus jure Divino præcepit, ut secundum publicum & communem ordinem munus docendi & baptizandi non nisi à personis publicè legitimeque vocatis & ordinatis perficiatur Rom. 10. v. 14. 1. Cor. 14. v. 1. Hebr. 5. v. 4. Et tamen in casu necessitatis & extraordinariè, & laicis & fœminis illa munia peragere licet, & quidem non vi permissionis & dispensationis humanæ, verum vi & valore juris & præcepti Div. quo illis licitum & mandatum est, extraordinariè & inevitabili necessitatis casu tam docere, quàm baptizare, vide Exod. 4. v. 25. 1. Maccab. v. 63. 2. Maccab. 6. v. 10. &c. Id quod ipse Bellarminus adstruit lib. 1. de Sacram. c. 24. vide Celeberr. & Amplif. D. Haberkorn. Præceptorem meum antehac æternum colendum, Decad. Disp. Theol. disp. de min. Eccl. Cur autem homines, & non Angelos, ad hoc D. ministerium Deus vocare voluerit, rationes reddi solent sequentes: 1. Quod Angelorū linguam ignoremus. 2. Quod eorum aspectum terre non possimus. 3. Ne illusioni & deceptioni sit locus, ut tempore Gregorii Magni, de quo vide Chemnitium L. C. part. 3. p. mihi 323. 4. Ne ipsorum dignitati plusquam verbo adscriberemus, aut mittenti DEO. vide Gerh. L. C. de Minist. Eccl. §. 179. & Tarnov. de Minist. Eccl. Quod autem homines viros scil. idoneos Deo vocare visum sit, factum est 1. propter commoditatem, quia sumus cognati, & familiares, rectiusque permittimus nos ab hominibus institui, quàm ab aliis, & ut vinculum consociationis inde fieret artius. 2. Propter necessitatem. 3. Propter audientium securitatem, & majorem docentium dignitatem. 1. Cor. 4. 7. qui gerunt thesaurum in vasis testaceis.

§. VI. Dona quod attinet, quæ requiruntur, ut persona quæpiam sit idonea, quæ vocationem capeat: quanquam fatendum cum Apostolo Paulo, munus hoc adeo sublime & arduum esse, ut vix quispiam inveniri queat, qui dici possit idoneus, & instructus donis officio paribus & æquipollētibus, 1. Cor. 3. v. 16.

τὸ πῶς

πρὸς ταῦτα τὴν ἰκανὸς: Ad hæc quis idoneus? Tria tamen im-
 primis sunt, quæ adesse oportet, ut quis censeatur dignus mune-
 re Ecclesiastico obeundo. 1. *Requiritur Orthodoxia seu verus*
de Deo rebusq; Divinis seu fidei Articulis sensus attestantibus scri-
 pturæ S. dictis, Malach. 2. v. 7. Labia sacerdotis scientiam obser-
 vabunt, & Lex requiritur ab ore ipsius, Matth. 13. v. 32. Omnis
 scriba edoctus est, & Matth. 28. v. 20. Docete homines observa-
 re ea, quæ ego præcipio vobis. 2. Tim. 1. v. 13. 2. Tim. 3. v. 14. &c.
 2. *Requiritur Dexteritas docendi veritatem, & veritati adversan-*
tes Adversarios scientia refutandi. & *παρρησία* loquendi, quod
 etiam probant S. Scripturæ dicta: 1. Tim. 3. v. 2. Oportet Epi-
 scopum esse *διδασκλικόν*, seu aptum ad docendum, & 2. Tim. 2. v. 24
 Servum Domini oportet mansuetum esse erga omnes & aptum
 ad docendum. 3. *Requiritur vita integritas*, quod itidem pro-
 bant clarissima Scripturæ dicta, 1. Tim. 3. v. 2. Oportet Episco-
 pum esse irreprehensibilem, & v. 7. Oportet eum etiam bonum
 testimonium habere ab extraneis, ne in probrum incidat, & la-
 queos Diaboli. 1. Tim. 4. v. 12. Esto exemplar fidelium in sermo-
 ne, in conversatione, in charitate, in spiritu, in fide & in ca-
 stitate, &c.

VII. Hisce præmissis, ut veritas magis illucescat, Mega-
 landrum nostrum Lutherum, tum ex scriptis *Adversariorum*, tum
Nostratum examinabimus, & adversantium probrorum syrtes,
 quoad fieri potest, declinabimus, ut via probationis prius à
 Pontificiorum scommatibus purgata, & lucidissimis veritatis
 radiis tacta, lucidius pateat, & eò facilius vim probandi inve-
 niat, ne cymbula veritatis remis velisque obstrigilatorum
 à femita veritatis recta deviet, ad sævissimorum errorum
 scopulos abducatur & allidatur. Primum requisitum erat *Or-*
thodoxia, seu verus de Deo rebusque Divinis seu fidei articulis
 sensus, secundum S. Scripturæ normam normatus. Quod sanè
 non eget *Mauri jaculis, nec arcu* probationis, ut Horatii verbis
 utar, sed unico hoc veritatis momento confirmari potest:
 Cujuscunq; doctrina secundum sacram sacræ Scripturæ normam
 normata & regulata, ab Apostolis in universo mundo annuncia-
 ta, à cujusvis conditionis hominibus recepta, omnibus seculis
 (licet impari gradu, sub papali præcipuè tyrannide) proposita,
 illius

illius doctrina est orthodoxa & divina; Atqui Lutheri doctrina talis est, E. Major suâ luce radiat, minor per omnes fidei articulos posset probari, si necessitas efflagitaret, & ratio disputationis admitteret. Pontificij E. nominis putamine speciosè sese oblectent, interim nos nucleum veritatis obtinebimus. Verùm regerit Jesuita Lessius Consult. suâ p. 89. dicens: Si orthodoxus fuisset, nobiscum mansisset, sed ex superbia orthodoxiam nostrâ reliquit, & heterodoxiam propagare incepit, quia cum munus promulgandi indulgentias prætermisissis Augustinianis delatum esset Dominicanis, ægrè hoc ipsum tulit, ideoque contra indulgentias scripsit, atque hanc superbiam, & indignationem, esse fontem & originem totius Doctrinæ Lutheranae, putat.

Resp. I. Verte Lessi, & res erit evidens! id quod simili haud absimili potest demonstrari: Quemadmodum enim is, qui tempore sive Hespero, sive Phœbæo in plateis ambulat, videt incendium exortum in hac, vel illa structura, alta voce vociferatur, *Feur / Feur* / indicans hominibus, ubi incendium sit exortum, non est causa incendii, sed is, qui ignem structuræ apposuit: Sic etiam superbia, si quæ foret, vel heterodoxia Lutheri non est causa & origo tumultus seu incendii exorti, & doctrinæ Lutheri, sed ipsi Papicolæ ignem falsæ doctrinæ per suas indulgentias & idolomanias (peditentim & successivè licet) sacratæ Ecclesiæ structuræ subjecerunt, & modicum modico, scintillam scintillæ errorum addiderunt, donec in magnum accreverit incendium, quod videns Lutherus, ex crebra Scripturæ lectione tanquam Doctor ad Orthodoxiam juventam docendam promotus, & juramento confirmatus, Deo magis quàm hominibus obedire debuit, indicavit, & incendii flammam extinguere allaboravit.

2. Dicimus, quod *fons & origo* nostræ doctrinæ sit SS. Dei verbum, quod cum legeret *Lutherus*, deprehendebat indulgentiarum vim nullam esse. Quare cum Papales Institores putidas & glaucomaticas istas merces magismagisq; ceu rustica gens butyrû extollerent (quia videbant Lyæo hoc corrupto opus esse suspensa hedera) & publicè popello simplici persuadere auderent, *animam protinus evolare in coelum, quàm primùm nummus in arculano coniectus fueris, & peccatum nullum esse tantum, quod non per indulgentias*

indulgentias remitti possit, etiamsi quis ipsam Deiparam suprasset. Ibi non sanè ex indignatione, & heterodoxias amore, & superbiæ fervore, sed ratione officii & juramenti præstiti capit monere homines, ut agerent prudèter, neq; merces Tezelianas, seu cū Socra-
re pœnitere, tanto precio emerent. His visis & auditis defecere em-
 ptores defecere pedetentim merces. Quâ de re etiã scripsit ad *Ar-*
chiEpiscopum Moguntinũ Albertum, quâ in epistolâ Lutherus fusè
 indicat, quare promotus sit, ut impiis & immodestis Nundina-
 toribus sese opposuerit. Et quamvis primò arbitraretur, Pon-
 tifici, Christi, ut dicunt, Vicario, nimia indulgentiarum encomia
 displicere, attamen contrarium mox expertus, & gravem ab
 ipso persecutionem passus est, ut eventus abundè testatur. Hanc
veram Lutheranismi causam & originem esse constat ex Lutheri epi-
stolis, scriptis, & istius temporis actis. Constat etiam ex historicâ re-
latione Sleidani, cujus probata fides. Constat etiam ex *Thuano*
Pontificio Historico, cujus relationi candidæ cur non magis crede-
 remus, quam crassis Lessii, Cochlæi &c. infensissimorum hosti-
 um Lutheri mendaciis? *Inimico enim detrahenti non credendum*
est, juxta August. lib. 3. cont. Petil. c. 10.

VIII. Secundum requisitum erat: *Dexteritas docendi ve-*
ritatem, & scientia veritati adversantes hostes refutandi. Quod
 attinet dexteritatem docendi, summâ, quâ donatus à Deo, polle-
 bat facundiâ, illustribus & præeximiis donis divinitus exorna-
 tus, excellenti memoriâ, extraordinario & exasciato judicio, ex-
 polito, & felicissimo ingenio &c. unde in ipsum redundarunt,
 & quasi confluxerunt, solida rerum Theologicarum scientia,
 summa linguarum notitia, Scripturam transferendi & interpre-
 tandi peritia, & alia admiratione & veneratione digna, dignissi-
 maque dona: In summa, omni eruditionis & virtutis supellecti-
 li erat instructus, & docendi dexteritate donatus, teste Sleidano,
 lib. 3. Hist. p. mihi 76.

Veritatem quod attinet docendi, & hostes, veritati adversan-
tes, dexteritatẽ refutandi, etiam eâ pollebat tantâ, ut etiam, post-
 quam per *Magistratum Saxonicum Wittebergam* vocatus esset, (nō
 ut ibi mendacia & Pseudo-doctrinas juventuti instillaret, sed ve-
 ritatem cœlestem defenderet,) & constantiâ & dexteritate, etiam
 in gravissimis ferè periculis, prorsus imperterritus steterit, ut nun-
 quam

quam cespitarit aut trepidarit, toto ferè mundo adversus eum fremente & frendente, ipse adversus omnes exstiterit animosissimus, ut Leo, gratiâ Dei firmatus, ut *Paulus*, bonitate causæ confirmatus, nil dubitans de veritatis felicissimo successu, qui etiam secutus est. Inter plurima dexteritatis & Heroici animi specimina, unicum huc referamus: *Magnum erat, Lutherum, à Carolo V. Wittebergâ Wormatiam vocatum, in medio quasi inimicorum constitutū, ut rationem redderet fidei suæ, nullis persuasionibus, nullis adhortationibus, eo adduci potuisse, ut sibi consulturus Comitia declinaret, & absentiam excusaret. Nam contempto omni periculo magno animi robore hæc reposuit verba: Mihi verò, qui vocatus sum, decretum & certum est, ingredi in nomine Iesu Christi, etiamsi scirem, tot Diabolos mihi oppositos, quot sunt regulae in omnibus totius urbis reclusis, &c.* Ita ergò urbem ingressus, sese Imperatori & Principibus præsentem exhibuit. Ubi Eccius, Cæsareæ Majestatis Orator, duplicem ipsi proposuit quaestionem: 1. *An libros à se scriptos, & in medio positos, suos esse agnosceret?* Resp. *Ita.* 2. *An quicquam in eis retractare, an verò tueri vellet?* ita distinctè & cordatè respondit, ut omnes intelligerent, ipsum defensurum esse. Proscriptus ab Imperatore in *Arcem Wartburg à Friderico* defensore asservatus est, in quâ solitudine animum non abjecit, sed multa adhuc adversus Adversarios in majorem veritatis propagationem, suorumque consolationem, præstitit, bona laudeque digna, emittendo varias epistolas, & opuscula, ceu prolixè testatur Sleidanus lib. 3. historic. *Successus* etiã præter omnè Adversariorum spè & opinionè major deprehensus est, & adhuc per Dei gratiâ deprehenditur. Quis n. ex Adversariis credidisset, misellum hunc Monachum tam animosè potentissimis Adversariis restitutum, tam constanter veritatem defensurum, tamque feliciter sine ullâ mundanâ potentiâ, sed solâ causæ bonitate nixum, lucem à tenebris, triticum à spinis, Christum à Baalitis &c. segregaturum, veritatem à falsitate, orthodoxiam à fermentis pharisaicis liberaturum, & per totum Germaniæ circulum, atque extra eam ad remotissima regna, disseminaturum, & propagaturum esse?

IX. *Tertium* requisitum erat *Vita integritas*. Decebat vitam ducere inculpatam, immaculatam, & ab atrocibus crassisque sceleribus.

sceleribus immunem. Id quod Lutherum Germaniæ illum Prophetam, Curram & Aurigam Israël, ut Philipp. Melancton ipsum vocat, fecisse, testes sunt illi, qui cum ipso conversati sunt, adeo, ut etiam Adversarius ipse Erasmus Roterodamus veritati testimonium perhibere coactus sit, quando scribit: *Vitam Lutheri magno omnium consensu probari*, lib. II. epist. I. Jam id non leve est præjudicium vitæ & morum integritatum, Si nec Adversarius reperiat, quod calumniatur. Quod unicum testimonium erit instar omnium. Verùm Jesuitæ impudenter calumniantur, immemores istius dictæ antiqui: *Diffamare cave, nam revocare grave; At memores istius: Calumniare audacter, semper aliquid hæret.* Quamvis enim sciant, Lutherum piè vixisse, vitam inculpabilem duxisse, DEO gratam, proximo utilem, sibi que suisque salutarem. Calumniari audacter tamen non destitère, ut aliquid hæreret, si non apud prudentes, & rerum gnaros, tamen apud simplices & imperitam plebeculam, propterea etiã solent has & similes calumniarum quisquilias vel in lingua vernacula seu teutonica extrudere, & plebeculæ legendas obtrudere & offerre; vel, quod alius latinè edidit, propter plebem teutonicè vertere, ut his excrementis nostram Religionem & religionis parastatas exosos reddant. Sed frustra! Dicit quidem Jesuita Lessius in consultatione sua confid. 8. *Lutherum fuisse sacrilegum, infamem, luxuriosum, libidinosum, superbum, maledicum, &c. igitur non à Deo missum. Quis enim tam stupidus esset, ut crederet, divinã sapientiam ad tantũ reformationis opus usũ fuisse homine, non solùm nullã sanctitate vitæ commendato, sed etiam infami, impuro, ambitioso, vindictæ cupido & maledico?* sunt verba Lessii. Non considerantis illud Basilii Homil. 10. ad pop. *Contumelia & calumnia recedit tandem in caput Calumniatoris.* Qui enim alterius famam lædit, & probare nequit, meritò infamis ipse censetur. Putat Jesuita hisce calumniis irritam reddi doctrinam & vocationem Lutheri, verum enim verò si omninò ipsi concederemus: Nō tamē à pravitate vitæ, ad falsitatē doctrinæ V.C. Licet Doctor aliquis malè vivat, quod tamen Lutherus minimè fecit, nil tamen decedit, vel doctrinæ veritati, vel vocationis divinitati. Ubi hi duo canones sunt observandi, 1. Vita corrupta ministri nil derogat doctrinæ integritati. 2. Sacramenta

etiam à ministro impio collata nihilominus sunt efficacia. Non enim sunt ministrorum, sed Christi, qui est Dominus ministerii, & per illud efficax, vide Catech. Diet. *de Minist. Eccles. 99.* Et quid magis Jesuitæ desiderant à nobis, quàm illud, quod fate-
mur, *Lutherum non Angelum, sed hominem fuisse*, in peccatis con-
ceptum, & infirmitati subiectum, ideoque omnibus omnino
peccatis non caruisse, quemadmodum nec inter Jesuitas quis-
quam, nec inter Prophetas, super quorum fundamentum ædifi-
cati sumus, Eph. 2. v. 20. *Moses enim fuit impatiens & incredulus.*
Num. 11. *Frater ejus Aaron Idololatra.* Exod. 32. *David homicida*
& Adulter. 2. Sam. 11. Et tamen doctrina ipsorum fuit verissima,
atque ab ipso Deo profecta. Quàm inconueniens ergò erit, &
absolum, ex Prophetarum vita de qualitate dogmatum velle ju-
dicare: tam inconueniens etiam erit ex Lutheri vita de qualita-
te dogmatum velle judicare, cum tamen ille manifestis sceleri-
bus non fuerit contaminatus. Et quis mundum dabit de immun-
do? Job. 14. v. 4. *Jesuita fortasse!* O si vitam illorum hîc exa-
minare liceret, vel ipsi speculum vitæ inspicerent, quot maculas,
quot larvas inuenirent? *Quisquis enim se inculpatum dixerit, aut*
superbus, aut stultus est. inquit Cyprian. serm. de Eccles. Et ta-
men Pontificoli non desistunt ejus vitam & personam stylo
insectari, verùm pura pura figmenta & mendacia sunt, ut verè de
iis effari possimus: Acuerunt linguas suas sicut serpentes, vene-
num aspidum sub labiis eorum, Ps. 139. Quod ipsum, sicut Lu-
therum non latuit, ita non deterruit, imò ipsum aduersitates
delectarunt, in bono confirmarunt, & in omnibus ita conso-
lidarunt, ut tanquam *murus abeneus* immotus, omni con-
tempto periculo, constiterit, omniumque hostium calumnias,
convitia, motus, strepitus, & totius etiam mundi odium, atque
Diaboli impetum fortissimo sustinuerit pectore; firmatus ta-
men gratiâ & bonitate Dei, nequaquam suis confusus viribus.
In Comitibus Wormatiensibus, ubi imperterritè coram Cesare,
& toto Imperio dixit causam, & per omnia sacra vehementer ora-
vit, si quis esset omnium, qui aduersus doctrinam suam aliquid
haberet, non dissimularet, sed congrederetur, & Scripturæ
testimonio errorem doceret, prolixè contestatus est, se valdè dele-
ctari, quòd videret doctrinam suam multis offensionibus & conten-
tionibus

tionibus vel turbis præbere occasionem, quod proprium esset Evangelii, &c. Vide Sleid. c.1. p. 66.

X Possent hîc antea memorata Lessii scommata pauld penitiùs perlustrari, & simul rationis lance pensitari, si pagellæ spatium permitteret, Verùm quia satis abundanter ab aliis dudum castigata, nec tanti ponderis, sed fulgura ex vitro sunt, quæ facilè possunt in auras dissipari, non opus esse existimo, hîc multum temporis impendere & perdere. Unicum autem solenne Jesuitarum scommata obiter & velut in transcurso hîc annotasse opus est, *de Nativitate Lutheri*. Nugantur enim ipsum Lutherum ex Incubo esse progenitum, patrem fuisse Satanam, qui in forma viri cum ancilla balneatoris congressum habuerit, ex qua hunc Martin. Luther. enixum esse fabulantur. vide Joh. Nafs. centur. 5. Genebard. Chronol. l. 4. Gretser. Luth. Acad. c. 26. p. 29. Röst. in PseudoJubil. &c. Alii etiam contendunt, Satanam in forma Mercatoris Wittebergam venisse, & in diversorio civico ex ancilla Lutherum genuisse, vide Joh. Wier. de præstig. Dæmno. lib. 3. cap. 23. Sed respondetur primò falsi tam atrocis mendacii testes in circumstantiarum relatione, ut falsi fratres *Susannite*, consentiunt, quod est indicium aperti mendacii. Alii enim in balneo, alii in ædibus Lutheri, alii in cœlibatu, alii in conjugio nefandum contigisse concubitum referunt. Nec alii cordatiores Pontificii vî veritatis historicæ convicti, mendacio huic subscribunt, ut Henricus Spondanus Apamiarum in Gallia Narbonensi Episcopus, Tomo suo 2. Annal. cont. Bar. An. 1517. §. 13. p. 327. & alii. Floremundus Ræmundus, quondam Regis Galliæ Consiliarius, ex Calviniano Pontificius factus ait: *Marem Lutheri cum Demone rem habuisse, pro vero affirmare nolo.* lib. 1. de ort. & prog. hæ. 16. c. 5. p. 20. R. 2. Præter id, quod multi negent, & plures dubitent de ejusmodi incubis & succubis & generationis possibilitate, quod *Physicis relinquimus*, inquam etiam sententiam inclinant *Conimbricenses* lib. 1. de generat. cap. 4. q. 10. Ante nominati & fide dignissimi Historici testantur honestissimam ejus nativitatem, Islebii in ditione Mansfeldensium factam, Anno 1483. die 10. Nov. nocte post horam undecimam, in vigiliis D. Martini, quo in loco etiam placidè obiit, vide Sleid. l. 16. p. 562. seqq. & Phil. Melancht. orat. Witt.

Tom. 4.

Tom. 4. p. 496. parentibus honestis, *patre Iohanne Luthero, metallifossore viro honoratissimo*, qui postea mutatis sedibus Mansfeldii Magistratum gessit: *Matre Margaretha Zieglerin*, Matronâ honestâ, virtutumque exemplari. 2. Testatur Mattheus in Hist. de Luth. conc. 1. p. 1. Ille olim Concionator in valle Joachimico, cui D. Lutherus valde notus, cuius ille discipulus fuit, ipsius de patre & patria testatur, illum ex pago *More*, non procul à Smalcaldia, Islebiam profectum metallifossorem fuisse, qui filios suos honestè educarit, & necessarios studiorum sumptus Luthero suppeditarit. Et hæc sunt calumniæ de Nativitate Lutheri, quas qui sanæ mentis legit, non solùm falsas & confictas, verùm etiam lectu indignas fatebitur.

XI. Communiter etiam à Papistis exprobatum Nostratis, *Lutherum 16. dies ante Nuptiarum celebrationem cum Catharina A Born, Virgine perjurâ Vestali, concubitum habuisse: Et ita Evangelium suum intempestivo facto confirmasse. vide Motiv. Badens. Rat. 3. p. 120. Scherer. conc. 4. Domin. 2. Adv. p. 39. Pist. in Anat. Luth. p. 165. Sixtus Sart. in caus. motiv. p. 13. & 63.* Postquam Lutherus adhuc in claustris monialibus cõclusus, videret tot idolorum manias, tot superstitiones, tot libidines, tot scelera &c. exerceri, etiam vidit & sensit, votum, quod præstiterat, irritum esse revocavit, igitur suasu & consilio parentum (Tom. 3. germ. Jen. p. 158.) conjugium inire constituit, etiã tandem petitis parentum gratificatus est, non carnalibus desideriis incitatus, sed bono in matrimonium affectu, quod certissimus esset, Conjugium esse statum à Deo in ipsa creatione hominum institutum, adedque sanctum & divinum, quod pridem non cogitarat, (Tom. 3. germ. Jenens. p. 160.) inopinato Anno 1525. sapientissima & liberrima Dei pronœa ita dirigente, castissimam omniumque virtutum genere & splendore insignem Virginem Nobilem *Catharinam de Born*, aliquandiu etiam vitæ monasticę addictam, in matrimonium duxit, & propter calumniatorum metum omnium opinione citius, per fidelissimos amicos, nempe Notarium publicum Wittebergensem (cujus domestica hæc virgo fuit) & alios, virginis animum explorari, & matrimonium ipsi offerri iussit, *facto consensu utriusq; partu, in habitaculo Ambsdorfii Licentiati, die Trinitatis*

ratis hora 5. vespertina presentibus amicis, ut Philippo Melan-
 chtone, Casparo Crucigero, D. Pomerio &c. sibi consensu parentum
 & horum Academia Amicorum desponsari curavit, per Dn. Pastorem
 Pomerum; Die Jovis verò post diem Johann. Baptistæ, etiam nu-
 ptiales epulas, & sponsæ in suas ædes deductionem instituit, vide
 Tom.3. germ.1.p.148.158. In conjugio autem ita se gessit, ut pium
 maritum, & fidelem patrem familiæ decet, suscepit tres filios,
 quorum natu major, *Johannes*, Medicinam professus est, secundus
 patri cognominis castra secutus est, *Tertius Paulus*; unius quoq;
Filia nomine Magdalena mentionem facit *Melchior Adami in vita*
Lutheri, quam patri ad cœlestem Sionem præcessisse ait. Ex
 hisce præmissis patet, Lutherum non diutius, quam octiduum
 ante maritalem sponsonem, cum ante nominatâ virgine de-
 sponsatum fuisse. Nam die Sabbati ante festum Pentecostes
 hac de re literas dedit ad Amicum quendam, die autem Trini-
 tatis circa vesperam, hora, ut dictum, 5. sibi copulari jussit, & ita
 non concubitum habuisse ante copulationem patet. Quod au-
 tem aliquot dies post copulationem & benedictionem spiritua-
 lem nuptiale convivium instituerit, factum est, ut initum conju-
 gium convivio hoc nuptiali publicè confirmaret, vide tom.2. Jen.
 Germ.p.150. & ita parentes & Amicos invitavit, qui benedi-
 ctione divinâ conjugatis benedicerent. Jam quaritur: *Num Lu-
 therus hisce factis contra sextum præceptum peccarit?* N. Quamvis
 enim nulla externa copulatio, nulla solennis desponsatio, & cere-
 moniæ aliæ præcessissent, nil tamè obesset essentiæ conjugii, quia
consensus parentû & utriusq; partis facit conjugium legitimum, nu-
 ptiarû solennis celebratio, sacerdotis copulatio, & personarum
 publica desponsatio sunt ritus, honesti quidem, sed non
 absolutè, & de jure divino necessarii. Posito verò, non
 concesso, Lutherum cognovisse illam ante benedictionem Ec-
 clesiasticam, non tamen directè peccasset contra sextum præ-
 ceptum, neque Evangelium intempestivo facto confirmasset,
 ut Jesuita inquit, aut inefficax fecisset, quia *non erat illud opus*
Evangelii, sed matrimonii. Peccant tamen tales, qui hoc
 faciunt, contra legem Ecclesiasticam, salutari consilio intro-
 ductam, contra publicam honestatem, bonos mores, & contra
 laudatissima piorum exempla, vide Gerhard. L. C. de Conjug.
 Quod verò intra privatos parietes copulatio sit peractâ in præ-
 sentia

sentia paucorum Amicorum, nil derogat conjugio, quia in verbo Dei nullum habemus jussum & mandatum de plurib⁹. Quod etiã postea convivium nuptiale instituerit, id ipsũ conjugium non facit irritum, neq; doctrinam falsam. Nam Tobias Tob. 8. v. 1. 20 21. quoq; cum sua Sara, post consummatum conjugium, convivium nuptiale dedit, &c. tamen non illegitimo modo conjugium inceperẽ. Etiam plurimi reperiuntur testes fide dignissimi, qui contestantur omnia ordine & decenter fuisse peracta.

XII. Adhuc perplura Pontificiorum sunt scommata, quæ omnia hinc recensere esset Nili caput querere, & manu Solis equos ducere & frenare, quare cætera, examinatis tribus hisce requisitis, ad conflictum differemus, & ad quæstionem ipsã nos accingemus. Sit igitur Quæstio: *An Lutherus ritè & ordinariè ad officium Ecclesiasticum sit vocatus?* Aff. Hinc præmittendum 1. in principio reformationis nemo papicolarum vel clanculariorum missificulorum, Anabaptistarum, & Enthusiastarum quæstionem de vocatione ipsius unquã movisse. Id quod manifestè arguit ipsos desperatæ causæ, nec quicquã tum in vocatione desiderasse. Siquidem omnibus constat, Lutherum ad ministerium Ecclesiasticum & Professionem Academicam, ac proinde ad veritatem vivã voce & scriptis propagandam legitimè vocatum esse, nisi propriam velint negare vocationis efficaciam. 2. Adversariorũ calumniis Lutheri propriis verborum formulis obviam eundum, quibus contestatur, nunquam & nusquam *ad immediatam & extraordinariam* aliquam vocationẽ se provocare; Sic enim disertis scribit verbis ad Senatum Mülhusinum Tom. 2. Jen. germ. p. 451. *Ich habe noch nie gepr ediget / noch predigen wollen / wo ich nicht durch Menschen gebetten und beruffen. Denn ich mich nicht berühmen kan / daß mich Gott ohne Mittel vom Himmel gesand habe.* Etiam §. 2. audivimus, vocationem aliam esse *mediatam*, aliam *immediatam*. Dicimus Lutherum non *immediatè*, sed *mediatè* vocatum fuisse ad officium Ecclesiasticũ, 1. quia ordinatus fuit Presbyter ab Episcopo suo ad decretum Augustinianorum ordinis Ann. Christi 1507. ætatis suæ 24. Dominicã Cantate, ubi in ordinatione sua accepit potestatem docendi verbum Dei purè & sincerè. Quamvis verò ritus ordinationis in Ecclesia Pontificia multis superstitionibus & ceremoniis inutilibus fuerit vitiatus, ex eo tamẽ ipsius

ipsius ordinationis essentiae nihil decedit. 1. Dist. enim est inter
Episcopi puritatem, & ipsam ordinationem, qua fit totius Ecclesiae &
SS. Triados nomine, approbatione, & benedictione, & ita est legitima.
 2. In ipsa ordinatione dist. est divinum ab humano, essenziale ab
 accidentali, pium & Christianum ab Antichristiano. II. Quia vo-
 catus fuit Ann. 1508. à *Iohanne Staupitio*, Augustinianorum Ge-
 nerali, accedente confirmatione, & consensu *Serenissimi Electoris*
FridERICI, ad Professionem Theologicam in Ecclesia & Academia
 Wittebergensi. Vocatio ejus per literas Senatus Wittebergici ex-
 tat tom. 9. Witteb. f. 104. & ipse tom. 2. Jen. germ. f. 279. inquit:
*Ich bin von euch einer ganzen Gemeine zum Predigampt berufft/
 habe einen Göttlichen Befehl/ daß ich die Gemeine Gottes allhie
 mit dem Wort Gottes weiden soll/ &c.* III. In *solemni Doctoratus*
actu, Anno 1512. consensu totius conventus Augustiniani institu-
 to potestatem accepit veritatem doctrinae caelestis contra quasvis
 heterodoxias, vivâ voce & scriptis defendendi. Quamvis verò
 Doctoratus non sit talis quaedam absoluta potestas, ubique & in
 omnibus Ecclesiis docendi, qualis Apostolis à Christo fuit data,
 tamen ad Lutheri vocationem rectè etiam refertur *Doctoralis pro-*
motio, tum quia per eam precedens Vocatio fuit publicè & solenni
ritu confirmata, tum quia prater testimonium eruditionis specialis
potestas & auctoritas veritatem voce & scriptis contra Adversarios
propagandi ipsi fuit data. Notandum verò, Lutheri vocationem
 duplicem admittere respectum, 1. *Consideratur ratiōe prædicati-*
onis Verbi & Evangelii Christi. 2. *Ratiōe Reformationis Ecclesiae.*
 Respectu prædicationis fuit ordinaria, dum ad docendum DEI
 verbum ab hominibus, apud quos illo tempore potestas vocandi
 erat, vocatus est. Respectu Reformationis Ecclesiae, in ea aliquid ex-
 traordinarii agnoscimus. Procul dubio enim à Deo excitatus, sin-
 gulariter illuminatus, excelso & heroico spiritu donatus, contra
 omnes Pontificiorum machinas servatus, & doctrina ab ipso præ-
 dicata cum magnâ regni Papistici imminutione celerrimè propa-
 gata, ut fidei ipsius ministerio Ecclesia AntiChristum agnoscere
 disceret, & ab ejus jugo, post diu admittam servitutem libe-
 raretur. Hinc ipse scribit Tom. 2. Jen. germ. fol. 61. *Es ist nicht*
*möglich/ daß ein Mensch soll alleine solch ein Wesen anfangen/
 und vollführen/ es soll auch ohne meinen Rath wol hinaus gehen/
 und*

und die pforten der Höllen sollens nicht hindern. Hanc extraordinariam ipsius excitationem miraculis confirmandam fuisse, ait Jesuita *Lesius* consult. cath. p. 54. Verum cum doctrina ejus non fuerit nova, sed antiquis Apostolorum miraculis abunde jam olim comprobata, propterea nihil refert, etiamsi nulla signa aut prodigia ediderit, qualia jactaturos esse falsos Prophetas prædictum legitur, Matth. 24. v. 24. &c.

XIII. Ex hisce præmissis talem facimus Inodum: Quicumque ordinariè vocatur, ut in templo Dei officio parochi fungatur, in Academia ut Professor publicus juventam doceat veritatè cœlestem, & omnem refutet falsitatem terrestrem, ille etiam tenetur de jure errores papales refutare. Atqui D. Lutherus ordinariè, legitimè & mediatè vocatus, &c. E. Minor in aprico & antea probata est, nec ab iis negari potest, nisi propriam vocationem negare velint. Verum negant consequentiam majoris. Quam tali probamus connexu: Quicumque jramento & stipulatis quasi manibus Deo & hominibus sese obstrinxit, & promisit veritatè doctrinæ cœlicæ sese propagaturum, & omnem falsitatem refutaturum; Ille etiam promissis stare tenetur, & falsitatem tam papalem quàm aliam redarguere debet, quia Deo magis obediendum quam hominibus, Act. 5. 29. Atqui Lutherus hoc fecit, E. minor est probata, consequ. legitima. Pontificii propagata quidem volebant dogmata Ecclesiæ suæ Romanæ, quare in genere veritatis prædicationem ipsi injungebant. Cum veritatem in Papatu autem non doceri, ex illuminatione Dei, & sedulâ Scripturarum lectione Lutherus cognosceret, idcirco vi vocationis, quæ *ratione sui, non ratione intentionis vocantium* est consideranda, errores & abusus Ecclesiæ Romanæ detegere, & tragicum illud spectaculum manifestare propter factum juramentum tenebatur. Observaturus ergo ordinarium compescendi modum scripsit ad Episcopos vicinos Diœcesanos, & Metropolitanos, admonens eos, ut petulantes in posterum linguas coercerent, cum verò nulla fieret cohibitio, nulloque illum dignarentur responso, quod is questus esset uberrimus, ibi ratione jurisjurandi iis opponere sese coactus fuit, propositionibus quibusdam ad disputandum publicè editis, & templi valvis affixis, quod cum delicatuli & molles Pontificuli ferre non possent, Lutherum per supremum indulgentia-

rum

rium hæreseos damnârunt, & propterea excommunicârunt, atq; ibi tùm certamina creverunt, Classicum omnes sustulerunt, & (velut ex equo Trojano) cumulativè prodierunt, agmine facto contra Lutherum intonuerunt, & ferram altercationis reciprocarunt. Verùm Lutherus, hæc floccipendens, pro bullis aqueis & fulminibus ex vitro umbrisque natis habuit, & Deo magis magisque illum illuminante, in reformationis opere pedem porrexit, donec hæc Evangelii lux ipsis illucesceret Principibus & Magistratibus, qui puræ Religionis vindices, idèdque memores sui officii Ecclesias reformabant, & subditis de fidelibus, Deique verbum purè prædicantibus, ministris providebant, quorum sanctis laboribus adèd benedixit Dominus, ut brevi tempore innumerabiles animæ jugo Pharaonis Romani ereptæ, & ad antiquam fidei Apostolicæ puritatem pertractæ fuerint.

XIV. Ast hîc obloquuntur *1. Episcopus, qui Lutherum vocavit, & ordinavit, aut falsus, aut verus, aut Pastor, aut Lupus fuit: Si lupus, quis à Lupo factum Pastorem agnosceret? si verus Pastor, Lutherus injustè ab illo discessit.* Reihing. in fundam. 3. pag. 59. *2. Disting. inter officium ipsum, & officii administrationem, potest quis in officio divino adeoque verus esse Pastor, & simul illud male administrare: Hactenus lupus evasit Episcopus ille. Quod ostendit exemplum Phariseorum, qui quoad officium veri erant Pastores, quia in Mosis cathedra sedebant, Matth. 23. v. 2. & nihilominus lupi & fures erant, Joh. 10. v. 8. scil. quoad executionem vel muneris administrationem: Eadem est ratio Episcoporum Papalium, quorum officium potest esse legitimum, executio autem illegitima. Jam verò B. Lutherus illud munus, quod accepit, rectè administrare voluit, ideoque Papatum idololatriâ plenum deseruit, non secus ac Zacharias, Johannis Baptistæ pater, qui per Phariseos quidem in Sacerdotio erat confirmatus, Phariseorum doctrinæ tamen minimè subscripsit, nec ob id lupus factus est, sed potius laudabilis officii divini administrator, qui propter officii rationem plus Deo, quàm hominibus erat obstrictus. Eadem ratio est vocationis Lutheri. Obj. 2. *Si Lutherus legitime vocatus est, quo loco & quo tempore id factum, & unde didicit capitula reformationis? ita Lessius. Quem antiquum coccyssimum novissimus quidam Anonymus Papista recoxit, in libello quodam Molshemii**

novissimè Anno 1667. edito, cujus titulus **Evangelischer Wandersmann**/ ita scribens pag. 9. So ist auch darzuthun/ zu welcher Zeit/an welchem Ort ihm die Hauptstück der Reformation erkläret/ was für Ordnung und weiß ihm vorgeschrieben / &c. *z.* Factum ibi & tùm, cùm vocaretur ad Professionem Theologicam, cùm renunciaretur Doct. Theologiæ. Capita verò reformationis didicit Lutherus à DEO non ἀμύσως, aut per occultam Spiritus inspirationem, sed ἐμύσως, per Scripturam omnis veritatis normam. Nunquam enim dicimus, Deum *immediatè* locutum esse cum Luthero, sicut cum Prophetis & Apostolis. Frustraneus E. est garritus Jesuiticus, & Anonymi recoctio. Sed pergit idem: Will man aber sagen/ der Beruff seye ihm vermittelst der allgemeinen Kirchen auffgetragen/ ist die Frage / wo sind Sigel und Brieffe/wo sicherer Beweis: daß er ordentlich gesandt &c. *z.* 1. Lutherus potentissimas magni Zebaoth & Domini dominantium literas manu Prophetarum & Apostolorum exaratas exhibuit. 2. Exhibuit *Literas vocationis Senatus Wittebergensis* Anno 1508. ad Lutherum datas, quas si Jesuita desiderat Tom. 9. Witteb. p. 104. volvat, revolvat. Reliqua in conflictu.

XV. Quia igitur Pontificii negare non possunt, Lutherum legitimè vocatum & ordinatum esse, nisi velint negare, se etiam legitimam vocandi rationem habere, alia excogitant effugia, dicentes hanc ordinationem, & vocationem defecisse, postquam à Papatu discesserit & oppugnarit, & ita consequenter nostros Ecclesiæ ministros nulla vocatione & ordinatione legitimâ gaudere, ideòque verum apud nos ministerium non reperiri. Egregia sanè illatio! Prius nostram probabimus quæstionem, scil. *An ministri nostra Ecclesia legitimâ gaudeant vocatione & ordinatione? Aff.* 1. Quia eundem servamus ordinem, quem Deus in verbo nobis præscripsit, & primis seculis à tota Ecclesia usurpatus est. 1. Nominatur certa persona. 2. Ejus doctrina à ministris exploratur. 3. Ecclesiæ sistitur. 4. Si hæc consentiat, eligitur. 5. à Magistratu confirmatur. & 6. à Ministerio ordinatur. Atque sic omnes tres status juxta antiquam antiquæ Ecclesiæ praxin concurrunt, adeoque omnis vocandi ratio consistit 1. in Presbyterii judicio. 2. Populi suffragio. 3. Magistratus confirmatione. Quàm legitimè igitur, & quo jure primis seculis à tota Ecclesia vocabantur Pastores,

stores, tam legitimè quoque & eodem jure nostri ministri hoc tempore eliguntur & vocantur. Majoris nulla potest esse dubitatio. Legitimum enim est, quod fit secundum leges, nec ullo modo improbari potest, quod institutione Divinâ nititur. Minoris veritas patet ex nostra praxi. Ubi tamen notandum in particularibus casibus abusus vitiosos quandoque de facto contingere posse, qui à nobis minimè probantur. Loquimur igitur de jure & ordinaria regula in Constitutionibus nostris Ecclesiasticis præscripta, ad quam ministrorum vocatio accommodari debet, & quoad fieri potest, accommodatur.

XVI. *Verùm quemadmodum B. Lutheri, primi Reformatoris Ecclesie, vocationem in specie: ita quoque in genere omnium Ecclesiarum Luth. ministrorum vocationem cavillantur postrema ætatis cavillatores Iesuita. Scribit enim Bellarminus lib. 1. de Clericis c. 3. Non sunt veri Pastores, quia non sunt per manus impositionem à veris Pastoribus ordinati Lutherus & ceteri, qui primi Pastores apud suos habentur. Nam si secus, à quibus obsecro? An à suis, an à nostris? Non à suis, ipsi enim sunt primi. Neque enim ante Lutherum ulli fuerunt Lutherani, qui eum Pastorem ordinare potuissent. Non item à nostris, siquidem in Ecclesia Catholica, unde recesserunt, nec Lutherus, nec alii fuerunt Episcopi, sed tantum Presbyteri: Porro Presbyteri non habent ordinandi potestatem! & c. Quod si primi Adversariorum Episcopi & Pastores veri Pastores & Episcopi non fuerint, certè nec secundi, nec tertii, qui primis illis successerunt. Cum quibus Bellarmini verbis ferè coincidunt hæc Teutonice Anonymi cujusdam verba in *Evangelischen Wandersmann* p. 164. ita habentia: Erstlich verschweigen Lutherische Prediger mit ihrer Zuhörer allzugroßem Schaden/ daß sie weder das Ampt der Schlüssel/ noch des H. Abendmahls gültig bedienen mögen/ weil bey ihnen weder Beruff noch Gewalt/ die Kirchen. ämpter zu verrichten/ noch die Geistliche Wehhe einander zu ertheilen: Dann wann Lutherische Prediger einander die Hand aufflegen/ gilt ihre Gewalt. reichung mehr nicht / als wann die Wander. gesellen einander zu Ritter schlagen.*

§. I. Distinguenda sunt ea, quæ naturâ sunt distincta: Aliud enim est, si quærat, *An Lutherus sit verè ordinatus?* ac verus Pastor.

Pastor ordinariè vocatus? quod Bellarminus non potest negare, ut supra probatum, ac propterea communis illa est Successoribus cum Luthero: *Aliud de manuum impositione.* Cur autem hæc adhibeatur, tres ejus ceremoniæ sunt causæ: 1. ut ostendatur personam ministerio jam dedicatam, & DEO consecratam esse, Levit. 1. v. 4. 2. Ut sit signum benedictionis divinæ, quam à Deo in officio expectare debet. 3. Ut hoc symbolo moneantur personæ, quod debeant victimarum instar, quibus imponuntur manus, paratæ esse ad subeundum durissima quæque, imò ipsam mortem pro vera veræ religionis confessione, Gen. 48. v. 14 Matth. 19. v. 15. &c. Desumptus est hic ritus à ministerio Levitico. Nam Israëlita jubentur manus suas ponere super Levitas ad ministerium consecrandos. Num. 8. v. 10. vide Brochmand. L. de Minist. Eccles. lib. 1. cap. 25. q. 1. pag. 367. Dicimus hunc ritum non absolutè esse necessarium, tanquam *substantiale ordinationis*, ut Bellarm. vult lib. de sacr. ordinis c. 9. *sed secundum quid*, quia citra scandalum hodie omitti non potest, nec omittitur. *Necessitati absolute*, quam urgent adversarii, opponimus partim *defectum mandati* & promissionis divinæ, partim *exemplum Christi*, qui in Apostolorum ablegatione hoc ritu non est usus, qui tamen veri fuere pastores. Posito autè Lutherum non per manus impositionem fuisse ordinatum, non tamen sequitur E. ejus successores non rectè ordinantur. Interim non negamus, Apostolos eo ritu fuisse usos, in initiatione Ministrorum Ecclesiæ, ut constat ex Act. 6. v. 6. 1. Tim. 4. v. 14. 2. Tim. 1. v. 6. tanquam ceremonia libera, non verò simpliciter necessaria: alioquin præcepto peculiari ejus observationem Ecclesiæ commendassent. vid. Chemnit. part. 3. Loc. Com. prolixè hæc de re differentem. Jam si Anonymus ille Jesuita à nobis quærit: unde Pastores nostri jus & potestatem alios ordinandi ministros, & potestatem clavium acceperint? Resp. *ab Ecclesia*, cui à Christo claves sunt traditæ. Cùm enim inter nos sit vera Christi Ecclesia, meritò etiam gaudemus omnibus privilegiis & juribus à Christo in Ecclesiam suam collatis.

XVII. Urgent 2. nostros Ministros non habere successi-
nem ab Apostolis. E. nec legitimâ gaudere vocatione. Resp.
Dist. inter *successionem personalem* seu localem; si quis succedit
in locum

in locum externum, seu dignitatem officii externam, licet Antecessoris doctrinam non habeat, atque hæc non semper est necessaria in Ecclesiæ ministro, aliàs nec Aaron, nec Johann. Baptista, nec Christus, nec Apostoli legitimam habuissent vocationem, quia quoad externum locum & externam officii dignitatem nemini successerunt: *Et doctrinalem*, cum quis ita in officio constituitur, ut Apostolicam & orthodoxam doctrinam profiteatur, & amplectatur, atque hæc semper necessaria est in Ecclesiæ ministro; qui enim veram doctrinam non habet, is verus Episcopus non est. Hinc jus Canon. ex Hieron. inquit: *Non sanctorum sunt filii, qui sanctorum loca tenent, sed exercent opera eorum. Cathedra enim non facit sacerdotem, sed Sacerdos cathedram.* Urgent 3. Quod quis non habet, alteri dare non potest. Atqui Lutherus potestatem & jurisdictionem non habuit, quia ipsi non fuit collata. E. aliis dare, eosq; ordinare & vocare non potuit. R. 1. Dist. inter *Jurisdictionem Ecclesiasticam & secularem*: Illam, nempe potestatem Ministerij verbum Divinum docendi, & Sacramenta administrandi, Lutherus in ipsa vocatione & ordinatione accepit: Hæc verò Lutherus non fuit data, utpote quæ ministris Ecclesiæ non competit. R. 2. Dist. inter *Agens principale & instrumentale*: Agens principale non potest conferre, quo ipsum destituitur, sed per agens instrumentale conferri potest, quod ipsi non inest, unde Thomas ait: *Instrumentum agit non secundum propriam formam, sed secundum virtutem ejus, à quo movetur.* 3. Dist. inter *potestatem magisterialem*, atque hanc ministri Ecclesiæ Lutheranae non habent, cum sit solius Dei, Matth. 9. v. 3. Et *Ministerialem*, atque hanc habent, cum juxta unicum verbum Dei doceant, Deut. 4. & Sacramenta legitimè juxta institutionem Christi dispensent, Matth. 28. v. 19. 1. Cor. 11. v. 26.

XVIII. Jam Resp. ad argumentum in initio hujus quæst. propositum §. 15. ita habens: Vocationem & ordinationem Lutheri defecisse, & in auras evanuisse, postquam è Papatu discesserit, quia vocatus & ordinatus fuerit ad doctrinam papisticam, non aliam, propagandam. R. 1. Si vocatus fuisset ad propagandam Papistarum doctrinam tantum, & non aliam, tum facilius sequeretur. At quod hoc sit falsum, luculenter ex supra dictis patet.

D

Etiam

egare,
ccesso-
autem
ndatur
cratam
quam
nean-
onun-
, imò
48. v. 14
Levi-
Levitas
mand.
unc ri-
le ordi-
undum
omitti-
onimus
a exem-
non est
um non
equitur
gamus,
cclesiæ,
unquam
in præ-
dassent.
rentem.
e Pasto-
potesta-
o claves
esia, me-
Christo
uccessio-
Resp.
succedit
in locum

Etiā sequeretur, nullum in V. T. ad Ecclesiam Judæorum vocatum, Phariseorum & Saducæorum erroribus contradicere ausum fuisse, quia omnes vocabantur ad propagandam doctrinam Judaicam. At quod hoc falsum, unicè patet ex exemplo Zachariæ, Johan. Baptistæ patris, qui & ad propagandam Phariseorum doctrinam vocatus est; Verùm in doctrina discessit ab illis, nec tamen propterea ejus ordinatio cessavit. R. 2. Dist. inter vocationem Dei internam, & Papæ Papistarumque externam, secundum vocationem Dei vocatus fuit ad veritatem verbi DEI propagandam, 1. Tim. 6. v. 3. Secundum sententiam & vocationem Papæ vocatus est ad tum temporis in Papatu usitatam doctrinam propagandam. Quemadmodum in V. T. Sacerdotes secundum vocationem DEI vocabantur ad docendum Mosen & Prophetas, Matth. 23. v. 2. Secundum opinionem Pontificum & Phariseorum verò ad immiscendum traditiones humanas, Matt. 15. v. 3. & c. 16. v. 6. & 12. Si in Vet. Test. Sacerdos quidam (ut sæpè factum) Judæorum doctrinæ contradixisset, non contra, sed secundum vocationem fecisset. Sic etiam Lutherus, quia vocatio Dei multis parasangis antecellit, & DEO magis, quàm hominibus, est obediendum. Sed, claudantur rivuli Papæ sat prava bibere. Adhuc plura in promptu essent Altercantium titivilitia, quibus magis suam idioticam produnt simplicitatem, & altercandi animum, quàm Lutheri Lutheranorumque Ministrorum infringant vocationem, quare ea hîc omittimus, & saniorum judicio, ut dijudicata, ita dijudicanda relinquimus. DEO, veritatis fonti, gratas agètes grates, quod nos in veritatis semita hactenus duxerit, & posthac ducere suo Spiramine S. non dedigetur, supplici voce contendimus.

Interea vivat cœlestis Gloria vivat,

Vivat Lutheri faxq̄, corusca DEI.

Fulgida Tarpeia referant mendacia Rome,

Est ubi fictivus Præses & ipse Deus.

COROLLARIA.

An Lutherana Religio sit nova, an verò Apostolica? Aff. post.

An Lutherana Religio miraculis debuerit confirmari? Neg.

An Lutherani credant solâ fide justificari? Aff.

An Iudei & Turca possint dici idololatra? Aff.

Contra

Contra Luthero mastigas.

V Ipera, cur magnum Megalandri rodere nomen
Pergis, & infixo vulnera dente paras?
Gloria Lutheri stabit, dum machina mundi,
Et, mundi punctum, terreus orbis erit.

PRÆSES.

S At studio indultum! Nisi ut hoc sudore parares
Misceri Fama Nomina, nil deerat;
Hæc super astra trahit FACE, Te Reinholde, LVTHERI:
Proh cumulo quanto sedulitatis opum!
Semina fertilibus terris data, sænera reddunt:
Nave labor, grandi messenè opimus eris?
Phæbus abesse favore queat? coronide cinget
Pervigil hoc studium: cinget ad invidiam:
Conterit invidiam nomen tamen omine, Reinhold
Fata Tua insinuat pura favore fore.
Gramma Tue Patria Te transpositum* (Dees) unum
Abiungit: Patria, si redis, unus eris.
Magna Tuam fortuna viam regat! omnia cedant
FAX, studium, Pietas ceu meruere Tua!

* Reinhold. ὀλοκαρδίας CLAR. DN. AUTHORI
d. in s. conterraneus

Iserlohn.

Rutgerus Westhoff.

M Actarem Te laude tua systemate versus,
Ni, Reinholde, foret præbita gutta mari;
Ni mihi vena esset vario turbata labore;
Ni laudi vili carmine detraherem.
Pagina sat præfens tua monstrat acmmina mentis
Sedula. Vive! redi Spes & honor Patriæ!

Sic Praeximio Dn. Conterraneo suo
Jacobus Saalman, Med. Cand.

שיר פשוט המהלך
רעה מקנה
עשיר משגור
פרש מחגור
תמיר המצד
בסנינים
בנעמיים
בבנינים
גוים רצה
בבנינים

Handwritten blue ink scribbles at the top left of the page.

שֶׁלֶב חַמּוּם
אֱלֹהֵי לִצְוֹ
קִשְׁטָה עַל אִמְרָתָה
אֲרוּחַ עֲלֵצוֹ
נִירְפָתָה
שֶׁלֹא שִׁקְצוֹ
כִּי מְלִיקָה
לֹא נֶאֱצוֹ
מִכֹּל-זִמְרוֹ
אֲרִלִּים חֲלָצוֹ

כִּי אִם עַמּוּם
כֹּל-הַיָּמִים
עַל בְּקִרְתָּה
קִרְשׁ חוֹרֶת
שְׂדוּר אֲתָה
הַיּוֹר לְקַחְתָּה
שׁוֹמְעִיקָה
אִף מֵעֲצִיקָה
לִדְתֵר הַמִּוֹ
כִּי כַחֲמוּרֵי

Ita Præcellenti atq; doctissimo Dn. Auctori scribeb.
Joh. Theodor. **Messing**/Fœrdâ- Westph.
SS. Theol. Stud.

EOi Arctoi que Soli Venerabile Lumen,
Relligionis apex ecce! LUTHERUS erat.
Cimmerias Regni Papæi dispulit umbras
Clarâ Evangelii luce salutiferi.
Orbis inhorrebat, Claustralis Roma stupebat,
Nec Dæmon, faceret quid, sibi certus erat.
Hive furor insanus Megalandrum, gente ministrâ
Pravorum, petiit, perniciofa struens.
Hic turbatorem Scripturæ; Pacis at Ille
Clamabat, veluti lingua nociva solet.
Sed non crimen erat majus, quàm ritè vocatus
Quòd Vir non esset, munia tanta gerens.
Ergò Divini Vindex REINHOLDE Lutheri
Id secus ostendis publicitusque doces.
Tanti Doctoris gaudes. Doctissime REINHOLD
Sectator solers esse comesque probus.
Hoc Osnabrugi, Lipstadi, denique Gießæ
Quæfisti, illius plurima Scripta legens.
Nunc Argentina, quanti facias memoratum
Doctorem, ostendis gnaviter atque probas.
Sis constans! Famam Megalandri perge tueri!
Sic REINHOLDE Tibi Fama perennis erit!

Ita Per. Eximio Dn. Conterraneo & Amico suo applaud.
Henricus Rumpaus. SS. Th. Stud. Lunâ-Westphal.

F I N I S.

Handwritten blue ink scribbles at the bottom right of the page.



ribeb.
estph.

pplaud.
stphal.

ULB Halle 3
004 957 016



1017





Diabolicum J
 dem cum Pl
 nostrum Lu
 dùm Scriptu
 lerent, ejus
 perdere tent
 versaretur, t
 si tanquam
 catus, ad ex
 dos relegatu
 lentius audi
 pag. 207. ar
 hibebuntur
centi, & in
 dierni Jesui
gum, Infame
ledicum, p
 (quod nost
 nem, quàm
 tis Religion
 ut veros *ve*
 & *rivulis sca*
 turigines an
 niculos ex a
 sterium nos
 bilationibu
 tantum ver
 bilem conf
*Φημί*as infar
 2. Cor. 6. v. 8
 affligatur, &
 sæpissimè e

cii can-
ndrum
 secun-
 on va-
 ous de-
 adhuc
 cia, ut
 onspur-
 s & In-
 e info-
 Germ.
 am ex-
ic inno-
 eati ho-
Sacrile-
um, ma-
missum,
 n in fi-
 igmen-
 ddant,
ymphis,
 orū sca-
 t, & fu-
 a mini-
 & exsi-
 , non
 indele-
ias x̄j̄ ev-
 ogatur,
 54. v. II.
 molestos
 ercetur,
 & quasi

